



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium  
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,  
discussa, & explicata

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

LX. Differentia 4. Eligentes Abbatem jure civili jurare debent, se electuros  
quem sciunt idoneum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

## LX.

## DIFFERENTIA 4.

Eligentes Abbatem jure civili jurare debent, se electuros quem sciunt idoneum. Auth. de sanctissimo Episc. c. 34. §. lubemus igitur. At jure Canonico alia forma servatur, c. Cum dilectus, de consuet. c. Quia propter, de elect. Bart. in Joann. Bapt. a S. Blasio 130.

I. Abbatem Canones jubent non ab Episcopo, aut extraneo quocunque, sed à Capitulo, seu congregatione fratrum ejus monasterii, cui praticiendus est, eligi, c. Abbas, c. Abbatem 18. q. 3. At qui ritus, aut forma servanda sit, alibi præscribitur, ut mox patebit. Et quamvis ad Imperatorem non spectet disponere de rebus ecclesiæ, & cœnobiorum, olim tamen bono affectu, ordinârunt aliqua, quæ arbitrio suo acceptarent, vel rejicerent ecclesiarum præfides. Cujus generis est *authentica citate* lubemus igitur, Abbatem, aut Archimandritam in unoquoque monasterio ordinari, non omnino secundum gradum monachorum (id est, ætatem, vel annos conversationis) sed omnes monachi melioris opinionis existentes eum eligant propositis sacrosanctis evangelii, dicentes, quia neque propter amicitiam, aut aliam quamlibet causam, sed scientes eum, & fide rectum, & vitæ castum, & gubernatione dignum, & qui possit monachorum disciplinam,

& omnem monasterii statum utiliter custodire, &c.

II. Quod citatos Canones attinet, in c. Cum dilectus, de consuetud. aliud nihil præcipitur, quam ut Congregatio monachorum sibi Abbatem eligat, & mortuo illo nullus qualibet auctoritate, aut violentiâ præponatur, nisi quem fratres, vel eorum pars consilii sanioris secundum Deum, & B. Benedicti Regulam duxerit eligendum. Forma autem electionis omnibus communis triplex est, prima per inspirationem, secunda per compromissum, tertia per scrutinium, de quo latius egimus in summâ I. C. Par. 1 tit. 7 §. 2. V. Gl. in c. Quia propt. de el. Roderic. Q. Q. Regular. tom. 2. q. 52. Caramuel in Regul. S. Bened. c. 64. Particularia in singulorum ordinum statutis viderelicet, omnibus tamen, ut bene Suar, movet Tom. 4. de Relig. l. 2. c. 6. servanda est forma præscripta in c. Quia propter, de elect.